

A Ita Aegyptijs regno tradito, in Aethiopiam redijt. Duobus itaq; annis Aegyptij absq; rege fuere, turbatis omnibus, cum etiam ad ciuilia bella peruentum esset. Duodecim igitur loco regis ex maioribus duces praeficiuntur, quib. omnis regni cura permiffa est. Conuenientes hi in Memphi, cōmuni consilio imperium exercebant. Cum uno animo concordiq; quindecim annis ut rex administralent, decreuerunt ut sibi cōmune sepulchrum aedificaretur: ut quemadmodum in uita uno consensu ac pari honore Aegyptum gubernassent, ita & post obitum cōmunis esset omnium unius sepulchri gloria. Conati sunt in ea re omnia superiorū regum opera excedere. Electa ad id iuxta paludem Libya aqua, quae in Miridem descendit, ex pulcherrimis lapidibus sepulchrum aedificauit, quadratum, quaquauerfus stadij unius, sculptura atq; artificum opere nihilo iam antea factis cedens. Ingredientibus illius ambitum domus aderat columnis circūfulta, quatuor ad latus quodlibet colūnis positis. Et huius tefti contignatio unius erat lapidis, sculpta praesepibus, uarijsq; picturis ornata. Erant ibi summo artificio depicta Aegypti regū, templorū, sacrorumq; monumenta. Tanto autē sumptu, tanta magnificentia ea moles ab his regibus excitata est, ut si ante eorum dissensionē fuisset absoluta, caetera sepulchra excellentia operū superasset. Verū cum annis quindecim simul imperiū tenuissent, regnū ad unicū redactum est. Psammiticus Saites, unus ex duodecim, cui maritima ora obuenerat, tributo emporijs omnib. praesertim Phoenicibus Graecisq; imposto, magnaq; uel pecuniae contracta, amicitiam plurimarū gentium principumq; sibi liberalitate comparauit. Huius rei inuidia moti reliqui bellū ei intulerunt. Quidā ex antiquis scriptoribus fabulantur, responsum imperantibus redditum, qui ex illis prior aerea phialam Deo qui erat in Memphi, dono tulisset, eum solum rerum in Aegypto potiturū, Psammiticum, cum extulisset sacerdotū quispiam e templo phialas aureas undecim, elegantiorē a se electam Deo obtulisse. Quod resciscentes caeteri, cum nollet occidere, relegasse illum perhibentur in paludes iuxta mare sitas, siue ob causam quā diximus, siue inuidia moti. At Psammiticus ex Arabia, Caria, Ionia conducto milite, acie illos prope Memphim superauit. Alij reges partim cecidere in bello, partim fugientes in Libyā celsere regno. Sumpto imperio Psammiticus uestibulum orientē uersus Deo in Memphi construxit. Circum templū pro colūnis colossos duodecim cubitorū posuit. Militibus mercede cōductis praeter stipēditū dona largē distribuēs, caeteris agros sorte diuisit paulo supra Pelusij ostia: quos multis post annis Amasis rex ad Mēphim traduxit. Rex propter operā a mercenarijs militibus nauatā, postmodū externo militi plurimū fessus, multū illorū praesidio usus est. Cum in Syriam exercitū duceret, praes caeteris honore mercenarijs impenso, statuit eos in dextra, Aegyptios a sinistra phalangis parte: qua contumelia irritati Aegyptij, ad ducēta milia eorū ab rege deficiēs, Aethiopiam uersus profecti sunt, nouas sedes sibi uindicaturi. Rex ad eos duces primū misit, eam ignominia deprecatorios. Ipse quoq; cum hi nihil profecissent, nauibus profectus est. Cum ipsos iuxta Nilum proficiscentes, iamq; Aegypti montes transcidentes reperisset, rogabat ut animū mutarent, utq; templorū, patriae, uxorū ac filiorū in mentem ueniret. At hi omnes una uoce clamore sublato, hastisq; scuta percutientes respondere, quod armorum potentes essent, facile se patriā reperturos. Orestis uerō sublata ueste genitalibus, nec uxores nec filios, dum eis uti possent, defuturos. Hoc dato responso, despicientes quae alijs maxima esse uiderentur, in Aethiopiae parte fertili fortis inter se affatim agris, consedere. Psammiticus eorum discessu haud parum dolens, ad curam regni conuersus, & uectigalia disposuit, & cum Atheniensibus quibusdamq; alijs Graecis societatem iniit. Erga externos qui in Aegyptū accederent, summa beneficentia utebatur. Cum Graecos plurimū diligeret, filios disciplinis Graecis erudit. Primus Aegyptiorum regū caeteras nationes